In clavem doctora-
lem Dn. Finni Jo-
hannaei Scalholtensis
Episcopi.

IN

CLAVEM DOCTORALEM

DN. FINNI JOHANNÆI

SCHALHOLTENSIS EPISCOPI.

Ex TYPOGRAPHEO, QVOD HRAPPSEYÆ EST IN ISLANDIA, NOVO, IMPRIMENTE E. HOFF MDCCLXXVI.

Clavigeros ceciniſſe deos hominesqve Poëtas
Notum eſt prioris ſeculi,
Qveîs data cuiqve fuit ſua ſignificata poteſtas,
Pro muneris vario modo:
Ornaruntqve humeros geſtamina talia latos,
Pharetra (a) lyra (b) arcus (c) balteus (d)
Cœlum aperit Janus, ſuus aulam qvamqve Magiſter,
Templum reſerat ædem tuens,
Admittitqve arcetqve viros, ſacrisqve miniſtrat,
Promit reconditqve omnia.
Hic communis honos variis, variisqve receptus
Mos gentibus qvondam fuit.
Hinc aulæ Iſaidæ clavis data dicta Magiſtro (e)
Oriente in ipſo primitus,
Unde aliæ traxere olim ſua dogmata gentes,
Qvamvis ſiniſtre, plurima.
Huc Petri claves, (f) huc &, me judice, eodem
Clavem refer Scientiæ, (g)

Acceptam

a) Ovid. Met. 2. Exuit hic humero pharetram.
b) Hor. Carm. I. 22. Inſignemqve pharetra,
Fraternaqve humerum lyra.
c) Idem lib. 3. od. 4. Nunqvam humeris poſiturus arcum.
d) Virg. Æn. 12. Humero cum apparuit alto Balteus.
Item: Humeris inimicum inſigne gerebat.
e) Eſa. XXII. 22. cf. cap. IX. 6. Apoc. III. 7. it. Job. XXXI. 36.
f) Matth. XVI. 19.
g) Luc. XI. 52.

Acceptam priſcis doctoribus, aſt male doctis,
Qvod *tollere* puto iſtôc loco.
Qvæ ſi obſervaſſet Romana ſuperbia qvondam,
Humero notam ſuſpenderet,
Qvod melius qvadrare putem geſtamine noto
Triplicis camini incommodo;
Qvo nec opus, cum nec fumos neqve fulmina ſurſum,
Prorſum ſed in terris vomat.
Pontificum interea ruditas in hoc neqve caſu,
Nec inſtitutum diſplicet;
Ipſe etenim proprio impoſuit ſibi Marte coronam,
Nec tradidit claves Deus:
Qvod nihil eſt aliud, qvam, veri neſcia, furti
Confeſſio palpabilis.
Verum utcunqve habeant ſe hæc omnia, me TUA *Clavis*
Auro jubet pretioſior
Lætitia ſumma, *Summe Venerabile Lumen*
Patriæ Cathedræ! aſſurgere,
Qvalis non aliis ante heic oblata, Magiſtros
Plures licet ſpectavimus.
Accepiſſe olim *Clavem* munusqve docendi
Bis terqve, meminimus probe:
Nunc demum ſed tempus erat, res ob bene geſtas,
Inſigne tribuendi novum.
Certarent urbes, ni *FINNI* Patria certa,
Et Pindari hôc ſtaret domus;
Et nunc, & poſt *Hiſtoriam* magnamqve bonamqve,
Momo facem intolerabilem;

Aſt

Aſt doctos opus exhilarans doctumqve piumqve,
Nilqve elaboratum magis.
Sic laudem, *Præſul!* ſed laudatiſſimus *Ipſe*,
Tacentibus ſcribis *Tuis*.
I nunc, Mome ſagax, i, tetra Calumnia, monſtrum,
Qvo triſtius nullum extitit;
Cujus Lernæum nunc *Rex* tandem enſe minaci
Novus *Hercules* collum ferit,
Felix ſubjecti Vindex populiqve ſoliqve,
Felix Brabevtes in pios.
I nunc, monſtrorum fera monſtroſiſſima, & aude
Efflare virus noxium.
Nos, hoc præſidio freti, tua ſpernimus, atrâ
Infecta peſte, ſpicula,
Conatusqve omnes ſtultos, artesqve nocendi
Ridemus hôc tutamine.
Qvantumcunqve volet, placeat ſibi turba negantûm
Curare mortalia Deum,
Tantundem & Cives *Regem*, qvorum inſcia Veri
Sapientia inſipiens tumet;
Qvos ſibi permittes ipſis, miſerosqve relinqves,
Nec invidenda inſania eſt.
Pauperies ſupereſt: hanc ſpernis; & hanc tamen ipſam
Luxu tuo non vendimus;
Ceſſuramqve loco ſperamus, *Rege* juvante,
Brevi, propitio cum Deo.
Tune ita, barbaries (ſed non ita barbara) Tellus,
Objecta cui ſæpe eſt male,

Doct-

Doctorem nacta es proprium, *Cui* plurima vitæ
Pars acta Patriam intra eſt *Suam?*
Muneribus *Regum* ut pridem, ſic nunc qvoqve læta
Honore gaudebis novo,
Atqve immortales *Patriæ* pro munere tanto
Grates ages *Patri Optimo:*
Qvam grave paupertas etenim, ſi corpora ſpectes,
Adfligit externum malum,
Tam grave, ſi ſpectes animam, qvæ corpore multo eſt
Præſtabilior, infamia;
Qvalem contemtum doceat cum ponere tanti
Faſtigii dignatio,
Hunc ſi mens maleſana neget, deponere, morſus
Curamus ut muſcas leves.
Accidere hoc ſigno potuit certiſſimo amoris
Optatius nobis nihil,
Qvod factum innumeris multum præſtare libellis,
Multo & validius judico.
Num *Rex* indignum, craſſoqve ſub aëre natum?
Stipitibus aut vervecibus?
Nugæ, tricæ apinæ, credat Judæus Apella,
Et ſi qvid iſtis vilius.
Gratius hinc debet nobis nihil eſſe viciſſim,
Audire homo ſiqvidem velis:
Qvalibus officiis ſi ſic certetur utrinqve,
Nîl pulchrius ſol viderit.
Te vero, *Immortale Decus Sophiæ* atqve *Tuorum*,
Sidus novis radiis nitens!

Te

Te multum ſalvere, diuqve valere jubemus,
Virtute Macte 'eſſe & Tua !
Attenuent Juvenum vigilatæ corpora noctes:
Tu noctibus niteas *Tuis*;
Quem qvi Pyrgoteles ſculpet, qvi pinget Apelles,
Clavem addere haud neglexerit.
Et Tu, qvi nobis reſeraſti plurima clave
Multiplicis Scientiæ!
Nunc myſteria, nunc oracula plurima pandes
Ope iſtius *Clavis* novæ,
Qvod felix fauſtumqve velit Deus eſſe, precantur
Omnes, qvibus mens ſana adeſt;
Utqve humeri Tibi ſufficiant, & robore firmo
Atlantis inſtar Te geras;
Atqve aliis multis committas omine fauſto
Claves Miniſtris cœlicas;
Tempore qvo donec ſummus volet Arbiter ævi,
Subeas apertam aulam poli.
Tandem, etſi ſemper verum eſt ſentire modeſte,
Hic eſt tamen ſenſus meus:
Sint Mæcenates, non dêerunt F. Marones
Qvæ carminis ſit clauſula.

Hæc numerum annorum noſtræ, qvo neſcio caſu,
Ætatis æqvant diſticha,
Qvam longam Numenqve dedit, nec plura negavit
Externe interneqve bona:

Cui

Cui facienda annosqve meos committo ſeqventes,
Sev deſinens heic, ſev minus:
Cui virtus laus, gloria, honos, regnum atqve poteſtas,
Per ſeculorum ſecula. d. 6. Febr. 1776.

Stiigi *Doctor* fæti aa folld
FINNUR Sælſtr manna,
Signizt bædi Saal og holld
Siifelldt Hans, beſta mans,
Uns til Hæda Himna rans
Heppnazt leid ad kanna.

GUNNARUS PAULI.

Greſſibus in terra felicior omnibus ito
FINNUS creatus Doctor, *&*
Semper & uſqve beatus erit Vir ſummus, ab omni
Liber malo, tum corpore,
Tumqve anima, donec cæleſtia gaudia tandem
Diebus intrabit ſatur.

O!

O! dilecta mihi genitrix tot terra ſuperba
Egregiis clarisqve viris, licet incola deſit.
Qvos inter numerare licet patriæ decus & nunc
In primis doctum, *Doctorem* rite creatum
FINNUM, *Antiſtitis* inſigni bene munere clarum.
Diſcite qvid valeat nunc frigida & ultima Thule;
Qvæ licet hoſpitibus, qvia frugibus, orba ſit, eſt hæc
In tamen ingeniis gignendis æmula terris
Externis, ſua qveis bona nos non invideamus.
Utrum igitur patria alma tibi gratemur an illi?
Qvi tibi tum decori datus eſt tumqve emolumento;
Et tibi nos læti ex animo gratamur & illi:
Tuqve diu natale ſolum *Doctore* frueris,
Et Tu vive diu venerabilis omine *Doctor*.
Nomine reqve magis, felix fauſtusqve per ævum,
Æternumqve beatus eris, nomenqve perenne.
Et ne nos teneat deſiderium nimis acre,
Linqve Tui ſimiles tua poſt bona funera natos.

M. K.